

WJEC

Level 2 Certificate in Latin Literature

Prescribed text for Unit 9541
Latin Literature Themes

Theme B:

Growing up in Rome

This is the official examination text for the
WJEC Level 2 Certificate in Latin Literature

Cicero, *pro Caelio* 25, 28, 30, 44

meus familiaris L. Herennius dixit multa de luxurie, multa de libidine, multa de vitiis iuventutis, multa de moribus. castigavit M. Caelium, sicut neminem umquam parens; multa de incontinentia intemperantiaque disseruit. equidem multos et vidi in hac civitate et audiui - non modo qui primoribus labris gustavissent genus hoc vitae et extremis, ut dicitur, digitis attigissent, sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent - emersisse aliquando et graves homines atque illustres fuisse. 5

itaque severitati tuae non respondebo; deprecari vacationem adolescentiae veniamque petere non audeo; perfugiis aetatis non utor; tantum peto ut, si qua est invidia communis hoc tempore aeris alieni, petulantiae, libidinum iuventutis - quam video esse magnam - ne huic aliorum peccata, ne aetatis ac temporum vitia noceant. in M. Caelio enim nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum aes alienum, nulla conviviorum ac lustrorum libido. amores autem et hae deliciae, ut vocantur, quae infirmioribus animis molestae solent esse, numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. 10 15

Horace, *Satires* 1.6, lines 71-88

causa fuit pater his qui, macro pauper agello,
noluit in Flavi ludum me mittere, magni
quo pueri magnis e centurionibus orti,
laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
ibant octonos referentes Idibus aeris: 5
sed puerum est ausus Romam portare, docendum
artes quas doceat quivis eques atque senator
semet prognatos. vestem servosque sequentes,
in magno ut populo, si quis vidisset, avita
ex re praeberi sumptus mihi crederet illos. 10
ipse mihi custos incorruptissimus omnes
circum doctores aderat. quid multa? pudicum,
qui primus virtutis honos, servavit ab omni
non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
nec timuit sibi ne vitio quis verteret olim 15
si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
mercedes sequerer; neque ego essem questus: at hoc nunc
laus illi debetur et a me gratia maior.

Petronius, *Satyricon* 46

tu, Agamemnon, prae litteris fatuus es. aliquo die te persuadeam ut ad villam nostram venias? tibi discipulus crescit filius meus: iam quattuor partes dicit; si vixerit, habebis bonum discipulum. nam quicquid illi vacat, caput de tabula non tollit. ingeniosus est, etiam si in aves morbosus est. ego illi tres cardeles occidi et dixi 'mustella eos comedit.' invenit tamen alias nenias et libentissime pingit. ceterum iam litteris Graeculis calcem impingit et Latinas coepit non male appetere. emi ergo puero aliquot libros rubricatos, quia volo illum aliquid de iure gustare. habet haec res panem. si noluerit, destinavi illum artificium docere - aut tonstrinum aut praeconem, aut certe causidicum - quod illi auferre possit nihil nisi Orcus. ideo illi cotidie clamo: 'fili, crede mihi, quicquid discis, tibi discis. litterae thesaurus est, et artificium numquam moritur.'

Martial, *Epigrams* 5.34

hanc tibi, Fronto pater, genetrix Flaccilla, puellam
 oscula commendo deliciasque meas,
parvula ne nigras horrescat Erotion umbras
 oraque Tartarei prodigiosa canis.
impletura fuit sextae modo frigora brumae,
 vixisset totidem ni minus illa dies.
inter tam veteres ludat lasciva patronos
 et nomen blaeso garriat ore meum.
mollia non rigidus caespes tegat ossa; nec illi,
 terra, gravis fueris: non fuit illa tibi.

Martial, *Epigrams* 10.62

ludi magister, parce simplici turbae:
sic te frequentes audiant capillati
et delicatae diligat chorus mensae,
nec calculator nec notarius velox
maiore quisquam circulo coronetur.
albae leone flammeo calent luces
tostamque fervens Iulius coquit messem.
cirrata loris horridis Scythae pellis,
qua vapulavit Marsyas Celaenaeus,
ferulaeque tristes, sceptrum paedagogorum,
cessent et Idus dormiant in Octobres:
aestate pueri si valent, satis discutunt.

Martial, *Epigrams* 11.39

cuniarum fueras motor, Charideme, mearum
et pueri custos assiduusque comes.
iam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba
et queritur labris puncta puella meis;
sed tibi non crevi: te noster vilicus horret, 5
te dispensator, te domus ipsa pavet.
ludere nec nobis nec tu permittis amare;
nil mihi vis et vis cuncta licere tibi.
corripis, observas, quereris, suspiria ducis,
et vix a ferulis temperat ira tua. 10
si Tyrios sumpsi cultus unxive capillos,
exclamas 'numquam fecerat ista pater';
et numeras nostros astricta fronte trientes,
tamquam de cella sit cadus ille tua.
desine; non possum libertum ferre Catonem. 15
esse virum iam me dicet amica tibi.

Juvenal, *Satire* 14 lines 1, 4-14, 31-33

plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres
bullatus parvoque eadem movet arma fritillo.
nec melius de se cuiquam sperare propinquo 5
concedet iuvenis, qui radere tubera terrae,
boletum condire et eodem iure natantes
mergere ficedulas didicit, nebulone parente
et cana monstrante gula. cum septimus annus
transierit puerum, nondum omni dente renato, 10
barbatos licet admoveas mille inde magistros,
hinc totidem, cupiet lauto cenare paratu
semper et a magna non degenerare culina.
sic natura iubet: velocius et citius nos
corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis 15
cum subeant animos auctoribus.

Pliny, *Letters* 9.12

castigabat quidam filium suum quod paulo sumptuosius equos et canes emeret. huic ego iuvene digresso dixi: 'heus tu, numquamne fecisti, quod a patre corripere posset? "fecisti" dico. non interdum facis quod filius tuus, si repente pater ille tu filius, pari gravitate reprehendat? non omnes homines aliquo errore ducuntur? non hic in illo sibi, in hoc alius indulget?' haec ego, admonitus exemplo immodicae severitatis, tibi pro amore mutuo scripsi, ne quando tu quoque filium tuum acerbius duriusque tractares. cogita et illum puerum esse et te fuisse, atque hoc quod es pater ita utere ut memineris et hominem esse te et hominis patrem.

Tacitus, *Agricola* 4-5

mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adulescentiamque transegit. arcebat eum ab inlecebris peccantium - praeter ipsius bonam integramque naturam - quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius - ultra quam concessum est Romano ac senatori - hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset.

prima castrorum rudimenta in Britannia adprobavit. nec Agricola licenter, more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter titulum tribunatus et incitiam ad voluptates et commeatus rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos.